



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et  
Sexto Decretalium Continentvr

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

11. Indignum es, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro  
spiritualibus facere quis homagium compellatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

holani commoraretur. Denique nihil eorum omisit, quæ à vigilantissimo Pastore Sacri Canones, decreta, vel etiam monita requirunt, adeoque omnibus Ecclesiæ præpositis, quod imitentur, absolutissimum exemplar præstitit.

IV. Lupus, qui ovibus insidietur, non tantum satanas est, cui S. Scriptura testimonium perhibet, quod circumceat, quærens quem devoret, sed etiam ipsius ministri, Pharisei, & hæretici, quorum sermo ut cancer serpit in perditionem animarum; qui oves sunt habitu, actu vulpes, crudelitate lupi: in vestimentis ovium veniunt ad nudandas oves, & spoliandos arietes. Præter-

ea inertes prælati, qui S. Bernardo teste *serm. 77. in Cant.* peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt, qui plus invigilant evacuandis marsupis, quam extirpandis vitiis, quemadmodum idem sanctus loquitur. Illi denique qui exemplo suo, & perversis moribus alios à via veritatis & virtutis in ævia rapiunt, tantò nocentiores, quantò verbis potentiora facta sunt. Contra hos omnes bonus Pastor vigilantiam, & industriam suam acuet, ne prædâ in faucibus lupi per oscitantiam suam relicta, coram Summo Pastore Christo fiat inexcusabilis. V. S. *August. l. de Pastoribus c. 10.*

## REGVLA XI.

*Indignum est, & ab Ecclesia Romana consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

Lucius 3.

I. Consonat huic Regulæ c. *Ex diligenti de Simon.* ubi Alexander 3. clericum ab homagio, quod propter beneficium Ecclesiasticum Archidiacono Cantuariensi præstiterat, absolvit ided, quod ejusmodi juramenta divinis & humanis legibus adversentur. Etenim res spiritualis cum per se, & ex natura sua commensurari non possit pretio temporali, omne pactum & juramentum respuit, quo te promittas, temporale aliquid præstaturum pro beneficio, vel aliâ quacunque re spirituali. Ita cum multis à se citatis *Barbos. ad cita. c. Ex diligenti.*

Sed obstare videtur modus loquendi, quo Pontifex utitur. *Indignum est, & ab Ecclesia Romana consuetudine alienum.* Nam si periculum Simoniam metuens avertere volebat, facile illi erat dicere, indignum, & à rerum sacrarum conditione alienum esse, pro spiritualibus homagium exigere. Cur Ecclesiæ Romanæ consuetudo allegatur, num aliarum alia consuetudo fuit, & quomodo esse contra legem naturalem, & divinam potuit? Propter hæc non de quolibet, sed certi generis homagio loqui crediderim, quod nimirum apud sæculares Vasallos in usu est, qui fidem

D d ini



dominis suis obstringunt ad obsequia quædam pro temporali feudo præstanda, quoties opus fuerit. Simili modo ad juramentum, vel homagium ministros Ecclesiæ compellere, ut temporali aliquo commodo beneficium sibi collatum quadantenus compensent, procul dubio indignum ordine sacro, rebusque spiritualibus est. Fidem vero suam obligare Episcopo nullus prohibetur. Nam ut *Silvest.* ait juramentum fidelitatis dignitati potius, quam personæ præstatur.

II. Quod, ut alia præteream, ex *6. Gravem, de excess. prælat.* cognoscimus, ubi Pontifex Archidiaconum *Ambianensem*, qui contra fidem datam, Epif-

copum negarat, dominum suum esse, deponi jubet, beneficiis in alium transferatis.

NOTA vocem *Homagii* in præd. cap. amplâ significatione usurpari pro qualibet fidei & subjectionis promissione: quod non considerantes aliqui ad probandum homagii usum in Ecclesiasticis personis applicarunt. Nam vocis illius admodum varia usurpatio est, ut *Legistarum Etymologiæ* tradunt, nec semper juramentum indicat. *V. Gloss. in Clem. Pastoralis, de sens. & re iud. Covar. in c. Quamvis pactum. §. 1. n. 1. & 2. speculat. de feudo. Suar. l. 1. de iuram. c. 13. n. 24. Tholos. l. 6. Syntagm. c. 15. Layman l. 4. tit. 3. c. 2. n. 3.*

